

LINGVAE IMAGINIBVS IVNGENDAE EXEMPLVM. DE REGIBVS EXACTIS APVD TITVM LIVIUM

RAYCO GARCÍA PERDOMO

raycokun@hotmail.com

Magister suffectus Linguae Latīnae in regiōne Valentīnā

Summarium

Septem locos deprompsimus atque imaginum ope et exercitiōrum discipulis legendos aptavimus de Romae regibus exactis e libro I *ab Vrbe conditā* Titi LIVII. Alii enim vitā decesserunt, alii interfecti aut expulsi regnum reliquerunt. Nos quidem eōrum regia exempla discipulis praebere instituimus exercitiis de linguā et de re atque imaginibus adhibitis ipsōrum excessuum quos nos quales narrantur ab ipso auctōre depinximus.

Claves

reges, regnum, regnāre, exigere, excedere, Romulus, Tarquinius, Ancus Marcius, Numa Pompilius, Servius Tullius, Tullus Hostilius, mors, exilium, Roma, Titus Livius.

Abstract

We have chosen seven excerpts from the first book of Tite Livy's *ab Vrbe conditā* about the expulsion of the Roman kings and we've made an adaptation out of them so we can read them with our students by using only images and exercises. In fact, some kings just passed away, while others were removed from their power through murder or exile. Therefore, we've decided to offer them as examples of the monarchy for our students using just exercises about language and subject matter, and presenting some drawings about their ending that we've drawn ourselves just the way the author describes it.

Key words

kings, monarchy, reign, expel, pass away, Romulus, Tarquinius, Ancus Marcius, Numa Pompilius, Servius Tullius, Tullus Hostilius, death, exile, Rome, Tite Livy.

PRAEFATIO

Factum est hoc opusculum dum in Gallia versabamur atque multum magis otio studioque quam muneribus operam dabamus; quam ob rem litteris coepimus nos dare et scriptis Titi Livii, ex cuius opere quidem liber primus mentem nostram maximo gaudio afficiebat. Inde consilium inimus ut quosdam locos una cum discipulis tractandos seligere necnon aptare facultatibus eorum, qui non solum egent consuetudine textuum legendorum difficiliorum (quam Caesaris ut puta) verum etiam quandoque abhorrent fabulas de regibus atque de Urbis Romae prima aetate, tam assuefacti pro tempore ultimis annis rei publicae. Itaque tria aggredi primum constituimus: locos e difficilibus faciliores eis reddere nonnullis aptatis, dein imagines adhibere nostra vacuitate et delineandi amore natas, postremo non paucis tot res a regibus gestas absolvere sed partes eorum vitarum quae fuissent maximi momenti et quoddam vinculum commune inter se haberent discipulis discernere et praebere. Ea ratione inita, decrevimus tandem aptare locos qui narrarent vitam regum exeuntem aut postrema tempora regnorum cuiusque regis. Denique non de regibus creandis agitur, sed exigendis aut expellendis, eo consilio ut ipsi discipuli melius finem regnorum Romae gustare possint.


Quod ad rationes docendi attinet, scopus ultimum nostrum conversio non est, sed per exercitia quae nos confecimus et imagines rem ipsam intellegere possint. Itaque non agitur de textibus examussim ac philologice pertractandis, sed de lingua exercenda et de re intellegenda. Attamen non est quod non convertant si voluerint aut auxilio erit: conversio enim omnino haud spernenda aut contemnenda est, nostra quidem sententia, sed non magis adhibenda quam sic ut apud alias linguas hodiernas fit. Quid tamen obstabit aut nocebit si textum non verbum e verbo intellegent, sed maiorem partem vocabulorum, fabulae gravitatem, sensum e sensu, rem retinebunt? Namque exercitia sunt hac lege confecta ut eum sensum discipuli possint mente fingere et captare.

Si respectabimus exercitia, videbimus duo ad linguam et duo ad rem dicata. Ut ad interrogata et exercitia bene respondeat cogitur omnis discipulus ad textus rursus legendos et ad recta responsa perscrutanda et quaerenda, quoniam Latine oportet cogitare et recensere ea quae modo legit; ergo redeat iterum iterumque ad textum si laborabit difficultatibus, fruatur latinitate fabula tabulis pictis (confitendum est nos minime una

cum Rubenio aut Picasso nominamur tamen), in textu enim repperitur semper rectum responsum... atque in imagine.

Malakae dedi, mense Novembri ann. MMXIX

CAPITVLVM I: ROMVLVS (753 A.C. - 716 A.C.)



Multitudini tamen Romulus gratior fuit quam patribus, longe ante alios acceptissimus militum animis; trecentosque armātos ad custodiam corporis quos Celeres appellāvit non solum in bello sed etiam in pace habuit.

Cum ille contiōnem militum in campo Martio habēret, subito coorta tempestas cum magno fragōre tonitribusque tam denso nimbo regem operuit ut conspectum eius militibus abstulerit; nec deinde in terris Romulus fuit. Romāna pubes postquam ex tam turbido die serēna et tranquilla lux rediit, ubi vacuam sedem regiam vidit, tamen velut orbitātis metu icta maestum aliquamdiu silentium obtinuit. Patres vero qui proximi steterant ‘regem procellā in caelum raptum esse’ affirmavērunt. Deinde deum deo natum, regem parentemque urbis Romānae salvēre universi Romulum iubent.

Fuisse credo tum quoque aliquos qui regem discerptum a patribus taciti arguerent; manāvit enim haec quoque sed perobscūra fama. Ne huic famae plebs crederet sollicita desiderio regis et infensa patribus,

Proculus Iulius, gravis senātor (ut traditur), in contiōnem prodit: “Quirītes! Romulus, parens urbis huius, primā hodiernā luce caelo repente delapsus mihi obvius fuit. Cum perfūsus horrōre adstissem, ‘Abi, nuntia Romānis’ inquit ‘caelestes ita velle ut mea Roma caput orbis terrārum sit; proinde rem militārem colant sciantque (et ita posteris tradant) nullas opes humānas armis Romānis resistere posse.’ Haec locūtus sublīmis abiit.” Illi viro haec nuntianti fides plebis fuit. [Liv. I 16-17]

EXERCITIA CAPITVLI I

1. Quid significat? Verba cum significationibus coniunge.

contio •	• strepitus crepitusque rerum quae franguntur
fragor •	• tentāta, instigāta, magnā curā affecta
icta •	• conventus et coetus populi ad oratōrem audiendum
pubes •	• percussa, perculsa, perfūsa
sollicita •	• altus, excelsus, elevātus
sublīmis •	• adulescentes, iuventus

2. Contraria vel synonyma ad haec verba in textu quaere.

laetum ↔	valde =
lucida ↔	nube =
fortitudine ↔	salūtant =
maioribus ↔	raptum =

3. Estne verum an falsum? Sententias falsas castīga.

	V	F
a. Et milites et populus Romulum magis amābant quam patres.	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>
b. Densus nimbus Romulum abstulit dum ille navigābat.	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>
c. Cum regem in regiā populus iam non vidēret, multum clamāvit.	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>
d. Quidam dicēbant ipsos patres Romulum occidisse.	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>
e. Plebs Romāna Proculo Iulio non credidit.	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>

4. Ad interrogāta Latīne responde.

a. Quot milites Romulus sibi habēbat ad custodiam? Quod nomen eis dedit?

b. Quid accidit cum rex contiōnem militum habēret?

c. Num plebs Romāna regem in caelum rapi vidit?

d. Quid Proculus Iulius narrāvit?

CAPITVLVM II: NVMA POMPILIVS (716 A.C. - 674 A.C.)



Multitudine omni a vi et armis conversā, et animi aliquid agendo occupāti erant, et deōrum adsidua insidens cura, cum interesse rebus humānis caeleste numen viderētur, eā pietāte omnium pectora imbuerat ut fides ac ius iurandum proximo legum ac poenārum metu civitātem regerent. Et cum ipsi homines in mores regis velut unici exempli se formārent, tum finitimi etiam populi —qui antea castra, non urbem positam in medio ad sollicitandam omnium pacem crediderant— in talem verecundiam adducti sunt, ut civitātem totam in cultum versam deōrum violāre ducerent nefas.

Lucus erat quem medium fons perenni rigābat aquā. Quo quia se persaepe Numa sine arbitris ad congressum deae inferēbat, Camēnis eum lucum sacrāvit, quod eārum ibi concilia cum coniuge suā Egeriā essent. Et Fidēi sollemne sacrarium instituit, quo flamines curru arcuāto vehi iussit manūque usque ad digitos involūtā rem divīnam facere, significantes fidem tutandam sedemque eius etiam in dexteris sacrātam esse. Multa alia sacrificia locaque sacris faciendis publica ac privāta

dedicāvit. Omnium tamen maximum eius operum fuit per omne regni tempus tutam pacem conservāre. Ita duo deinceps reges, alius aliā viā, ille bello, hic pace, civitātem auxērunt. Romulus septem et triginta regnāvit annos, Numa tres et quadraginta. Cum valida tum temperāta et belli et pacis artibus erat civitas. [Liv. I 21]

EXERCITIA CAPITVLI II

1. Quid significat? Verba cum significationibus coniunge.

imbuere •	• pudor, modestia, ingenuitas
ius iurandum •	• implēre, fundere sic ut liquōres
verecundia •	• alius post alium
arcuātus •	• iuramentum, sacramentum
flamines •	• in modum arcūs curvātus
deinceps •	• sacerdotēs apud Romānos

2. Contraria vel synonyma ad haec verba in textu quaere.

impietāte ↔	vim afferre =
placandam ↔	aeternā =
dissolūtā ↔	saepissime =
turbāta ↔	templum =

3. Estne verum an falsum? Sententias falsas castīga.

	V	F
a. Caelestia numina videbantur res humānas curāre.	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>
b. Numae mores numquam exemplo Romānis fuērunt.	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>
c. Subito populi deos colere coepērunt propter pudōrem.	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>
d. Numa pauca aedificia publica sacris faciendis instituit.	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>
e. Numa diutius regnāvit quam Romulus.	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>

4. Ad interrogāta Latīne responde.


a. Quae sunt vera uxor et filia Numae? Suntne in imagine?

b. Quomodo Numa populum bellicōsum temperāvit?

c. Quibus deābus lucum Numa sacrāvit? Quae erant illae deae?

d. Quomodo flamines colēbant et servābant sedem Fidēi sacrātam?

CAPITVLVM III: TVLLVS HOSTILIVS (673 A.C. - 642 A.C.)



Devictis Sabīnis, cum in magnā gloriā magnisque opibus regnum Tulli ac tota res Romāna esset, nuntiātum regi patribusque est in monte Albāno lapides de caelo cecidisse. Visi etiam sunt audīre vocem ingentem ex summo luco ‘ut patrio ritu Albāni sacra facerent’; quae sicut dis simul cum patriā relictis Albāni obliuīōni dederant, et aut Romāna sacra susceperant aut fortūnae (ut fit) irāti cultum reliquerant deōrum. Romāni quoque ab eōdem prodigio sacrum publice suscepērunt, seu voce caelesti ex Albāno monte missā seu haruspicum monitu; mansit certe sollemne ut feriae per novem dies agerentur.

Haud ita multo post pestilentia orta est. Quam ob rem cum pigritia militandi orerētur, nulla tamen ab armis quies dabātur a bellicōso rege, credente salubriōra etiam militiae quam domi iuvenum corpora esse, donec ipse quoque longinquo morbo est affectus. Tunc simul cum corpore adeo fracti sunt animi illi ferōces ut, etiam is qui antea nihil minus regium ratus esset quam sacris dedere animum, repente et magnis et parvis superstitionibus obnoxius degeret religionibusque

etiam populum impleret. Iam homines eum statum rerum qui sub Numā rege fuerat requirentes, unam opem aegris corporibus relictam (si pacem veniamque ab dis impetravissent) esse credēbant. Ipsum regem tradunt volventem commentarios Numae, sed non rite inītum aut curātum sacra Iovi fecisse, ipsius enim Iovis pravā religiōne sollicitāti fulmine ictum cum domo conflagrasse. Tullus magnā gloriā belli regnāvit annos duos et triginta. [Liv. I 31]

EXERCITIA CAPITVLI III

1. Quid significat? Verba cum significationibus coniunge.

prodigium •	• qui exta victimārum inspicit futūrum quaerens
haruspex •	• precibus et labōre obtinere
quies •	• portentum praeter natūram eveniens
obnoxius •	• ex more institūto
rite •	• vacatio, cessatio ab opere et labōre
impetrāre •	• timidus, summissus aliquā poenā

2. Contraria vel synonyma ad haec verba in textu quaere.

exiguam ↔	oblīti erant =
industria ↔	accensi =
privātīm ↔	validiōra =
probā ↔	salūtem =

3. Estne verum an falsum? Sententias falsas castīga.

	V	F
a. Patribus nuntiātum est lapidibus pluvisse.	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>
b. Albāni semper patrio ritu deos coluerunt.	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>
c. Tullus rex pacificus erat.	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>
d. Repente omnes religiōse deos verebantur.	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>
e. Tullus sicut Numa sacra facere potuit.	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>

4. Ad interrogāta Latīne responde.


a. Quid dicēbat illa vox ingens?

b. Cur Romāni sacra facere rursus coepērunt?

c. Quid rex censēbat de militiā?

d. Quomodo Iuppiter Tullum punīvit?

CAPITVLVM IV: ANCVS MARCIVS (641 A.C. - 617 A.C.)



Has spes cogitationesque secum portantes Lucumo et Tanaquil Urbem ingressi sunt, domiciliōque ibi emptō ‘Lucium Tarquinius Priscum’ mutāvit nomen. Romānis conspicuum eum novitas divitiaeque faciēbant; et ipse fortunam adiuvābat benigne alloquendo, comiter invitando beneficiisque quos poterat sibi conciliando, donec in regiam quoque de eo fama perlāta est. Brevi Tarquinius cum Anco rege tam firmam amicitiam adiunxerat, ut publicis pariter ac privātis consiliis bello domīque interesset et postrēmo tutor etiam liberis regis testamento instituerētur.

Regnāvit Ancus annos quattuor et viginti, cuilibet superiorum gloriā par. Iam filii prope puberem aetātem erant. Eo magis Tarquinius instābat ut quam primum comitia regi creando fierent. Quibus indictis regulos pueros venātum ablegāvit. Isque primus et petisse ambitiose regnum et oratiōnem dicitur habuisse ad conciliandos plebis animos: ‘Se non rem novam petere, quia ille non primus (quod quisquam mirāri posset) sed tertius Romae peregrīnus regnum affectet; et Tatium non ex peregrīno solum sed etiam ex hoste regem factum, et Numam ignārum Urbis, non petentem, in regnum accītum: se primā iuventūte Romam

cum coniuge ac fortūnis omnibus commigrasse. Maiōrem partem aetātis eius quā civilibus officiis fungantur homines, se Romae quam in vetere patriā vixisse; domi militiaeque sub haud spernendo magistro, ipso Anco rege, se Romāna iura ac ritūs didicisse.’ Haec eum haud falsa memorantem ingenti consensu populus Romānus regnāre iussit. [Liv. I 34-35]

EXERCITIA CAPITVLI IV

1. Quid significat? Verba cum significationibus coniunge.

conspicuus •	• domus ubi rex habitat
benigne •	• dicendo significāre, denunciāre
regia •	• liberaliter, comiter, benefice
comitia •	• omnium oculis expositus
indicere •	• anxie et cum affectu exquirere
affectāre •	• populi conventūs suffragiōrum causā

2. Contraria vel synonyma ad haec verba in textu quaere.

maleficiis ↔	opes =
initio ↔	pace =
veterem ↔	priōrum =
laudando ↔	nescium =

3. Estne verum an falsum? Sententias falsas castīga.

	V	F
a. Lucumo et Tanaquil Romam reliquērunt.	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>
b. Inter Ancum et Tarquinium bona amicitia fuit.	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>
c. Reges superiōres maiōre gloriā quam Ancus fuērunt.	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>
d. Tarquinius diutius in vetere patriā quam Romae vixit.	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>
e. Omnia quae Tarquinius scit, ab Anco didicit.	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>

4. Ad interrogāta Latīne responde.


a. Quomodo Tarquinius famam bonam suam divulgāvit?

b. Dum reguli venabantur, quid Tarquinius fēcit?

c. Num Tarquinius primus rex peregrīnus fuit?

d. Quid populus post oratiōnem Tarquīnii statuit?

CAPITVLVM V: TARQVINIVS PRISCVS (616 A.C. - 578 A.C.)



Regno Tarquinii exeunte, Servius Tullius servus non modo apud regem, sed etiam apud plebem et patres magno honore erat. Tum Ancii filii duo, etsi antea semper pro indignissimo habuerant se patrio regno tutoris fraude pulsos et regnare Romae advenam, regi insidias parant. Ex pastoribus duo ferocissimi delecti ad facinus in vestibulo regiae maximo tumultu rixam simulant; inde, cum ambo regem appellarent clamorque eorum penitus in regiam pervenisset, vocati ad regem pergunt. Primo uterque vociferari et certatim alter alteri obstrepere; coerciti ab lictore et iussi in vicem dicere tandem obloqui desistunt; unus rem ex composito orditur. Cum intentus in eum se rex totus averteret, alter securim in caput deiicit, relictoque in vulnere telo, ambo se foras eiciunt.

Tarquinius moribundum cum qui circa erant excepissent, illos fugientes lictores comprehendunt. Clamor inde concursusque hominum mirantium. Tanaquil inter tumultum claudi regiam iubet, arbitros eiicit. Servio prope accito cum paene exsanguem virum ostendisset, dextram tenens orat ne inultam mortem soceri esse sinat. "Tuum est" inquit, "servi, si vir es, regnum, non eorum qui alienis manibus

pessimum facinus fecere. Erige te deosque duces sequere qui clarum hoc fore caput divino quondam circumfuso igni portendunt. Nunc te illa caelestis excitet flamma! Nunc expergiscere vere! Et nos peregrini regnavimus. Qui sis, non unde natus sis reputa! Si tua consilia re subito torpent, at tu mea consilia sequere!” [Liv. I 40-41]

EXERCITIA CAPITULI V

1. Quid significat? Verba cum significationibus coniunge.

advena •	• verbum sacrum et religiosum praedicere
facinus •	• qui non est civis, sed externus, ex aliena terra
penitus •	• stupore et tarditate corripere, obtorpescere
inulta •	• omnino intus, in imo, in fundo
portendere •	• impunis, impunite
torpere •	• malum ac pravum factum

2. Contraria vel synonyma ad haec verba in textu quaere.

optatissimo ↔	dolo =
ex inopinato ↔	pugnam =
vitalem ↔	in ordine =
dormi ↔	testes =

3. Estne verum an falsum? Sententias falsas castiga.

	V	F
a. Servius Tullius erat filius maior Ancii Marci.	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>
b. In regione sacerdotes rixam simulant.	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>
c. Dum alter pastor Tarquinium distrahit, alter eum occidit.	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>
d. Lictor securim in caput regis deicit.	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>
e. Tarquinio moribundo, Tanaquil Servio suadet ut regnum occupet.	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>

4. Ad interrogāta Latīne responde.

a. Quae insidiae ab Anci filiis parantur in Tarquinium?

b. Tarquinio vulnerāto, quid primum iubet Tanaquil?

c. Quibus verbis Tanquil Servium Tullium hortātur?

d. Quod portentum Servio Tullio puero apparuit?

CAPITVLVM VI: SERVIVS TVLLIVS (578 A.C. - 534 A.C.)

Tulliae uxōris furiā instinctus Tarquinius Superbus conciliāre sibi patres, admonēre paterni beneficii ac pro eo gratiam repetere coepit. Postrēmo ut iam agenda rei tempus visum est, cinctus agmine armatorū in forum irrūpit. Inde omnibus percussis pavōre, in regiā sede pro Curiā sedens patres in Curiam per praecōnem ad regem Tarquinium citāri iussit, qui convenēre extemplo. Ibi Tarquinius maledicere orsus: ‘servum servāque natum post mortem indignam parentis sui, non interregno inīto (ut anteā), non comitiis habitis, non per suffragium populi, non auctoribus patribus regnum occupasse. Ita natum, ita creātum regem, fautōrem infimi generis hominum ex quo ipse sit...’

Huic oratiōni Servius cum intervenisset trepido nuntio excitātus, extemplo a vestibulo Curiae magnā voce “Quid hoc rei est” inquit, “Tarquini? Quā audaciā me vivo tu vocāre ausus es patres aut in sede considerare meā?” Cum ille ferociter ad haec ‘se patris sui tenēre sedem; multo quam servum potiōrem filium regis regni herēdem; satis

diu illum insultasse dominis', clamor ab utriusque fautoribus oritur et concursus populi fiēbat in Curiam, apparebatque regnatūrum eum qui vicisset. Tum Tarquinius necessitāte iam cogente ultima audēre: multo et aetāte et viribus validior, medium arripit Servium elatumque e Curiā in inferiōrem partem per gradūs deiēcit; inde ad cogendum senātum in Curiam rediit. Creditur (quia non abhorret a cetero scelere) admonitu Tulliae id factum; ipsa certe per patris corpus carpentum egisse fertur. [Liv. I 47-48]

EXERCITIA CAPITVLI VI

1. Quid significat? Verba cum significationibus coniunge.

conciliāre •	• circumdatus circulo vel anulo facto
cinctus •	• significatio voluntātis ad creandos magistratūs
citāri •	• is qui defuncto succēdit et bona et res
suffragium •	• benevolum animum alicuius facere
heres •	• currus, genus vehiculi
carpentum •	• invitāri, nomine vocāri

2. Contraria vel synonyma ad haec verba in textu quaere.

placātus ↔	timōre =
detractōrem ↔	nuntium =
quiēto ↔	interpellasset =
infirmior ↔	consilio =

3. Estne verum an falsum? Sententias falsas castīga.

	V	F
a. Tarquinius amicitiam cum Servio conciliāre in animo habēbat.	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>
b. Tarquinius improvīso Curiam intrāvit et in sede regiā consēdit.	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>
c. Servius rex creātus est populo et patribus volentibus.	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>
d. Dum Tarquinius et Servius disputābant, hi soli in Curiā erant	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>
e. Satis constat Tulliam Tarquinio suasisse ut Servium necāret.	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>

4. Ad interrogāta Latīne responde.

a. Quid mirissimum factum esse in Curiā patres ipsi vidērunt?

b. Quibus verbis Tarquinius de Servio maledicere coepit?

c. Quibus verbis Servius regnum suum defendit?

d. Quomodo Tarquinius regem necāvit?

CAPITVLVM VII: TARQVINIVS SVPERBVS (534 A.C. - 509 A.C.)



Lucretiā castā a Sex. Tarquinio vi compressā, ferocissimus quisque iuvenum cum armis voluntarius adest. Inde patre Lucretiae relicto Collatiae custodibusque datis, ceteri armāti duce Bruto Romam profecti sunt. Ubi eo ventum est, quacumque incēdit armāta multitūdo, pavōrem ac tumultum facit; ergo ex omnibus locis Urbis in forum curritur. Ibi oratio habētur de libidine ac vi Sex. Tarquini, de stupro infando Lucretiae et miserabili caede, de orbitāte Lucretii cui morte filiae indignior ac miserabilior esset causa mortis. Addita superbia ipsius regis miseriaeque et labōres plebis; Romānos homines, victōres omnium circa populōrum, opifices pro bellatoribus factos. Indigna Servii Tulli memorāta caedes et invecta corpori patris nefando vehiculo filia. His aliisque (credo) atrocioribus memorātis, incensam multitudinem perpulit ut imperium regi abrogāret exsulesque esse iubēret Tarq. Superbum cum coniuge ac liberis. Ipse, iunioribus qui ultro nomina dabant armātis, ad concitandum adversus regem exercitum est profectus: imperium in Urbe Lucretio,

praefecto urbis iam ante ab rege institūto, relinquit. Inter hunc tumultum Tullia domo profugit.

Harum rerum nuntiis in castra perlātis cum re novā trepidus rex pergeret Romam ad comprimendos motūs, flexit viam Brutus (senserat enim adventum) ne obvius fieret. Tarquinio clausae portae exsiliumque indictum: liberatōrem Urbis laeta pubes accēpit, exactīque inde liberi regis. Duo consules inde comitiis habitis creāti sunt, L. Iunius Brutus et L. Tarquinius Collatīnus [Liv. I 59-60]

EXERCITIA CAPITVLI VII

1. Quid significat? Verba cum significationibus coniunge.

caedes •	• privatio liberōrum aut parentum
orbitas •	• ignominia, dedecus in re Venereā
ultra •	• qui alicui rei vel negotio praepositus est
praefectus •	• qui alteri occurrit resistendī gratiā
stuprum •	• percussio quā homo aut animal occiditur
obvius •	• nemine rogante aut cogente

2. Contraria vel synonyma ad haec verba in textu quaere.

invītus ↔	violātā =
nobilior ↔	turba =
modestia ↔	operarios =
liberandos ↔	iuventus =

3. Estne verum an falsum? Sententias falsas castīga.

	V	F
a. Omnes iuvenes ferōces cum Bruto Romam venērunt.	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>
b. In foro Sext. Tarquinius oratiōnem habuit de Lucretiā violātā.	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>
c. Tarquinius Superbus Romānos milites aedificia struere iusserat.	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>
d. Lucretius pater imperium Romae habuit usque ad exilium regis.	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>
e. Brutus et Collatīnus primi reges Romāni fuērunt.	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>

4. Ad interrogāta Latīne responde.

a. Cum iuvenes Romam intrārent, quid ibi factum est?

b. Quid Lucretius censet de filiae morte?

c. Quem ad finem Brutus populum verbis suis perpulit?

d. Quid Romae Tarquinius Superbus invēnit ubi e castris profectus est?

INDEX LIBRORVM

ØRBERG, H. (1990), *Roma aeterna*, Domus Latina, Greena.

MARTÍN TORDESILLAS, Á. (1981), *Antología latina*, Textos clásicos anotados Gredos, Madrid.

MCDONALD, A.H. (1965), *Livy. History of Rome*, Oxford University Press

VERSIONES

VILLAR VIDAL, J.A. (1990), *Tito Livio. Historia de Roma desde su fundación*, Gredos, Madrid

LUCE, T.J. (2008), *Livy. The rise of Rome. Books 1 to 5*, Oxford University Press.

